



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Quanta benignitate Dominus perfectoru[m] orationes exaudidat. Cap. xxx.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

*Iob 42.* Si iustus numquam à Domino derelinquitur , nec à refugio suæ protectionis excluditur , quomodo eum flagellum tangat , quem dignum munimen abscondit? Non dereliquit ille , qui auditor est in opportunitatibus ; innocentem Iob , quem in Angelorum concilio laudauit , & cui omnia , quæ dæmon abstulerat , duplicita restituit . Et addidit Dominus ait , omnia quæcumque fuerant Iob , duplicita . ] Non reliquit Dauidem , cui regnum amplissimum donavit ; & imperij sui pulsū finibus , in pristinum statum reuocauit . Non reliquit Iacob , quem per desertum errantem sustentauit , & angelos ei ascendentes & descendentes ostendit . Non reliquit Eliam , qui in celum est rapitus , nec mendicati , qua ipsum cruciatus , datus est ille , qui ut inquit Ambrosius , geminata spiritus hereditatem discipulo dereliquit , ut una melotide heres donatus , fluuios lysteret , Iordanem reuocaret in fontem , regum exercitus palceret in deserto , & potum sicuti tribus ministraret . Ad eius arbitrium de cœlo profluebant pocula , in terris mortui resurgebant . Non reliquit Eliséum , qui Angelos meruit habere custodes ipso , proclaimante ad ministrum suum , quia plures nobiscum sunt , quam cum illis . Non reliquit Daniëlem , quem ab immanitate leonum eripuit , & cui cibum miraculose administravit . Non reliquit Susannam , cuius pudicitia à violentis oppressoribus , & fama à falsis iudicibus liberavit . Non reliquit Paulum , qui innumerabilibus periculis impetratus ait : Si Deus pro nobis , quis contra nos ? ] Deus igitur non relinquit iustos , viros sanctos , & sibi fideles non deserit , sed iuvat , sed protegit , sed abscondit , ut flagellum tribulationis illos non tangat , dum non ad vulnus eorum , sed ad salutem , & ad augendam sanctitatem appropinquat . Et flagellum non est , quod sanctitatis , & consolationis , & tantorum bonorum origo est . Quid plura ? Quosdam sanctorum communibus tribulationibus eximit Deus , sicut Istrælitas in Ægypto , à plagiis Ægyptiorum exemit , & à tantis malis uniuersum illud regnum populantibus liberauit . Alios , licet mala communia famis , aut morbi , aut bellorum sustineant , suauissime consolatur , & proper illorum orationes calamitibus sine imponit . Alios ( ut Fælicem Nolanum aranearum telis ) rebus fragilissimis ab impetu hostium abscondit . Alios ( ut innumerabiles martyres ) ab immanitate tormentorum eripit . Alios , ne dolores , & cruciatus sentiant , occulta quadam ratione sensu doloris priuat . Alios in mediis cruciatis , in exiliis , & aliis tribulationibus consummari permittit , ut hanc eximiā gloriā assequantur , quod per ignem , & aquam transierūt , & ad alterum refrigerium properarunt . Tandem si nonnumquam Deus inter instorum pericula abscondit faciem suam , & quasi ab interiori habitaculo eorum seipsum elongat , & illos veluti solos , & omni ope destitutos pati finit , id facit , ut diuinam protectionem sibi necessariam sciant , & liberationem ab omnium conditore venire cognoscant . Sapienter enim dixit Gregorius : Protec̄tio diuina minus necessaria creditur , si semper habeatur ; sed viriliter plerūque subtrahitur , ut fibi homo , quād sine illa nihil sit , ostendatur . Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduersa insinuat , quæ etiam neficientes nos in prosperis portat . Qua destituti dum cadere incipimus , & tamen adiuti retinemur , & doctrina sit , quod in lapsu trepidamus , & custodia , quod in statu permanemus . ] Si igitur flagellum est , quod ad penam malefactorum intentum est , viris perfectis flagellum non appropiat , quia non ut malefactores tribulantur , sed ut servi fideles probantur , & ut strenui milites exercentur . Hī tentationibus crescent , periculis roborantur , perse-

cutionibus exaltantur , & doloribus ac afflictionibus examinati , puriores ab omni face imperfectionum efficiuntur . Qui verò pretiosum & desiderabile existimant , in rebus aduersis Deo protegi , & a sanctis Angelis defendi , quibus mandatum est , ut animas puras custodian in omnibus viis suis : qui magnū & excelsum iudicant , tribulationes non impatienter , sed æquanimiter sustiner , in modo & alacriter tolerare , ac earum molestiam vix p̄ amore & abundantia cōsolationis sentire , nec non laborum perpessione omni virtutum genere mirabiliter crescere ; perfectam virtutem secentur , & anima puritatem enixè querant . His enim promissum est in æstū vmbraclum , in labore refrigerium , & in tribulatione solatium . Nam & viro perfecto dicitur , si alicui dicitur : Cum ipso sum in tribulatione , eripiam eum , & glorificabo eum . Longitudine dierum replebo eum , & ostendam illi salutē meum . ]

Psal. 90.

Psal. 90.

*Quanta benignitate Dominus perfectorum orationes exaudiat .*

CAP VT XXX .

*D*IC ET virti perfecti sint planè diuites , & cœlestibus bonis abundant , tamen quia dum vitæ mortali tributa persolunt , non in manente ciuitate , quam inquirunt , sed in exilio , & in loco horroris , & vasta solitudinis commorantur , semper habent quod postulent , quod etiam desiderent . Si enim Ionathas filius magni regis , & abundans magnitudine diuitiarum in deserto positus inediā patitur , & modica fani melli particula indiget , quia oculi eius p̄ fame caligantes illuminantur : quid mirum si viri perfecti , licet sint Filii Dei , quamdui hanc incultam mundi solitudinem habitant , multis rebus egant , quibus & corporis imbecillitati , & animæ infirmitati consulere debeant ? Sed o terque quaterque beati , quibus ex hac miseria & necessitate aliud incomparabile bonum exoritur ; illud autem est , quod si orant exaudiuntur , & quicquid petant , suo tempore ad votum recipiunt . Peccatoribus sapissime Dominus in sacris literis communatur , se non exaudiuntur orationes eorum , & id quidem iuste , quis namque hostium suorum , ea ratione , qua hostes sunt , depreciationes , & vota suscipiat ? Per Salomonem ait : Qui declinat aures suas ne audiat legem , id est , ne vitam suam legis præceptis accommodet , oratio eius erit execrabilis . ] Quid est , erit execrabilis : nisi erit iniusta , & ingratia Deo , quam ob iniquitatem postulantis audire renuerit . Vehementius autem inquit per os Isaiae : Cū exendetis manus vestras , auertam oculos meos à vobis : & cū multiplicaveritis orationem , nō exaudiam : manus enim vestræ sanguine plena sunt . ] Efficax profecto ratio , & cui nulla tergiversatione satisficeri poscit : Non exaudiam , quoniam manus peccatorum sanguine , id est , peccatis & iniquitatibus , plena sunt , quibus ( quod ad se attinet ) iterum Christi sanguinem fundunt . Egregie enim dixit Basilius : Hæc causa est , cur Deus oculos auertere soleat , quando manus extendimus , nimisq[ue] quod indicia supplicationis occasionem iræ præbeant . Quenadmodum si quis interfacto filio alicuius , quem ille in oculis ferebat , adhuc cruento conspersas manus habens , extendat ipsas patri , etiam tunc flomachanti , petens in amicitiam , ut se recipiat , nōne sanguis filii qui in manu eius appetat , qui filio necem attulit , ad iram magis incitat eum , cui iniuria data est . ] Si pater eius petitionem non audiet , cuius manus videt

1. Reg. 14.

Prou. 2.8.

Isaia 1.

Basil. Ora.

2. de orat.

sanguine

Isaie 59.

Malach. 2.

1. Reg. 12.

3. Reg. 21.

2. Par. 33.

Iosann. 9.

Aug. 44.  
in Iosann.

Luc. 16.

sanguine sui filij pollutas; quo pacto Deus orationes iniquorum suscipit, quos scit in legem suam esse prævaricatores, & in seipsum iniuriosos, & in sanguinem & merita filij vniogeniti sui crudeles existere? Hanc ergo rationem tamquam nulla hominum astutia solubilem, idem Propheta iterum repetit, dicens: Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggrauata est auris eius, ut non exaudiatur. Sed iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestra polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.] Ingens quidem calamitas est a Deo non exaudiri, sed multo maior peccatorum orationibus a Deo maledici, quam in eos severissima Dei iustitia retorquet. Quæ per Malachiam ait: Si nolueritis audire, & si nolueritis pone re super cor, vt deis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.] Ac si homo diues medico stipem efflagitanti non solum elemosynam denegaret, sed etiam districto gladio a se fugaret, & contumelias, ac maledictis impeteret: Ira Deus cum iniquis se gerit, quos inuercendè rogantes, & procaciter postulantes, cum indignatione a se repellit. Et reuera pauperem a diuite non sine contumelias abiici, probosum est, sed a Deo impium derelinqui, miserrimum. Pauper enim ab uno diuite reiectus, aliud, qui sibi subueniat, & opere ferat, inueniet; at impius a Deo cum indignatione pulsus, alium Deum non reperiret, sua indigentia prouisorem, aut sua iniquitat placatum. Imo nec ex rebus creatis aliquod miseria remedium accipiet, quia nihil nisi Deo donante donant, & nulli nisi Deo subueniente, subueniunt. Sed demus, creaturas, Deo repugnante, posse hominibus aliquid opis afferre (quod impossibile est) infelix plane talis subuentio, & nihil utilitatis afferens, quam misera & indiga creatura donat, & nequaquam misericors, ac diues creator afferuat.

At fortè dicet aliquis his Scriptura verbis acribus & indignabundis Dei facta contradicere, qui sapè iniquorum preces orationesque suscepit. David quippe non iam sanctus, sed iniquus, adulterio fodiatus, & sanguine innocentis conspersus, exauditus est. Qui ad vnam tantummodo vocem, peccavi, qua non expresse, sed quasi inuoluntè suorum peccatorum indulgentiam petuit, statim sententiam absolutionis reportavit, qua dictum est illi: Dominus quoque transfluit peccatum tuum. Et impius Achab Eliae combinatione conterritus ieunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demissi capite, & sine dubio suum iudicem exoravit, quem statim placatum reddidit: Dicit enim Dominus. Quia humiliatus est Achab mei causa, non iudicam malum in diebus eius.] At tandem iniquissimus Manasses ob innumerabilia flagitia sua captiuus in Babylonem deportatus, & misera seruitute coangustatus, orauit Dominum Deum suum, & egit penitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obfecravit intenti; & exaudiuit orationem eius.] Ideoque Augustinus illum cœci nati sermonem interpretans: Scimus quoniam Deus peccatores non exaudiuit: dictum cepi, id est, minus sapientis, appellat, qui adhuc Dei misericordiam erga peccatores, & bonitatem ignorabat. Adhuc inunctis loquitur, inquit, nam & peccatores exaudit Deus: Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & peccatum suum percutiens, diceret: Deus propitiatus esto mihi peccatori.] Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste cœcus illumina-

A tionem,] Hæc facta Dei, quæ retulimus, nullo modo sacrarum literarum verbis repugnant, sed quo pacto sint intelligenda demonstrant. Audit enim Dominus aliquando peccatores sibi ipsi veniam erratorum peentes, & misericordiam postulantes, sicut solei rex perduellum ad obedientiam conuersum, & palindram recantantem, mitius punire, & ei criminis læsa Maiestatis nonnullam indulgentiam cotrogare. Audit illos, non quia ipsorum merita id exigant, non quia ad veniam accipiendo dignitatem habeant, non quia (quod ad ipsos spectat) aliquid congruum afferant, quo exaudiri mereantur, sed quia Dei misericordia tanta est, vt propter seipsum & ob suam ingenitam bonitatem velit eis proflus indignis, & immeritibus indulgere, & remedia penitentiae ac contritionis elargiri. At peccatores non necessaria ad propriam salutem pertinentes, sed bona alia, aut sibi, aut aliis postulantes, Deus ut homines procaces, & quibus frontes meretricum factæ sunt, nec audit, nec respicit, nec admittit, imo a se reiicit atque contemnit. Hoc est enim quod Gregorius ait: Sapè Deus eius precem in oratione deferit, qui præcepta eius in tranquillitate despiciit. Sanctos etiam in afflictione adiutores non habet, qui habere socios in hilaritate contemnit. Merito autem isti talia postulantes reiiciuntur, quia licet sacrificium orationis per se bene oleat, ipsi tamen offerentes ferent. Et injurya Dei est, hostem eius, & suorum præceptorum transgressorem, ante factam penitentiam, & indulgentiam acceptam, beneficia concedenda amicis petere, & mediatoris personam induentem, aliis dona postulare. Peccatores igitur, cum orant non exaudiuntur, quia exauditione & misericordia Domini sūt proflus insigni, ni fortè Dominus naturali benignitate illectus, velit illis sibi metropolis indulgentiam delitorum pertinentibus, veniam concedere, & ne percant, necessaria ad vitam, sive spiritualem, sive temporalem tribuere.

Iustos vero & præcipue viros perfectos, & sanctitatis amatores exaudiunt: Dominus libentissime, quotrum orationes, sive sibi ipsi, sive aliis bona petant, hilariter suscipit, gratarunt admissit, & supra id quod postulant, imo & quod cupiunt, (parum est hoc) imo & supra id quod cogitant, illis aut aliis propter illos, dona cōcedit. Qui fanè in deserto huius mundi constituti, orationem suam habent pro vita; desiderium pro victu, atque vestitu, vocē animi pro delicis, quia sola vox ac deprecatione, quicquid ad necessitatem, & ad voluptatem necessarium est, abundantissime consequuntur. Est enim mandatum Domini, quo homines ad beneficentiam incitauit: Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & ras dabo tibi, cum statim possis dare.] Cuius mandati in seipso nobis formam exhibet, cum amicissimos suos, nimurum viros perfectos, eius pedibus ad aliquid postulandum prouolutos, nullatenus vacuos dimittit, sed plenos bonorum, quæ pertinet, & latos, ac exultantes apud se detinet. Quod in Anna Samuelis matre, & in Sara vxore iunioris Tobie, & in Iuditha Bethulie liberatrice facile aduertimus: quorum altera sterilis ad templum oratura venit, & fecunda, & tanti filii futura mater, abiit: altera, infamiam interemptis virorum abiecit; tercia vero, oratione magis quam gladio roborta Holofernem occidit, Assyriorum exercitum confudit, & suum populum liberavit. O quam aptè in persona Domini videtur, quod sanctus Iob de seipso testatur: Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos vidua expectare feci.] Dum enim pauperum nomine humiles intelliguntur, ut putat Gregorius, quis non videt, Dominum, pauperibus & humiliis, Anna & Sarra, quod volebant, non

Gregor. 5.  
mor. c. 30.

Pro. 3.

1. Reg. 1.  
Tobia 8.  
Iudith. 3.

Iob 31.

Greg. 21.  
mor. c. 21.

Eccl. 35.

negasse, quarum alteram matrem, alteram vxorem fecit, & oculos viduæ Iudithæ non contrastasse, quam ab omni peccati colluione fernauit, & in eximiam liberatricis dignitatem euexit? De hac iustorum oratione, in Ecclesiastico scriptum est: Oratio humilantis se cœlos penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec Altissimus aspiciat. ] Iustus enim est, qui se verè & perfectè deicit, & coram Domino vehementer humiliat, cuius oratio præ fœcordia nō humi repit, sed omnia visibilia, & inuisibilia transcendens Altissimi solium peradit. Ibi autem non quiecit, & petere non desistit, quo usque optata secum deferat, & pro voto omnia recipiat. Nec indiger talis oratio multo labore ad obtinendum, quod cupit, quia Dominus, qui tenerimè iustos præfert perfecitos diligit, valde pronus est ad donandum illis, quod se inspirante cupuerunt, & os eorum aperiente petuerunt, & se impellente flagitarunt. Fac inter regem, & reginam conuenire, ut ipsa donum aliquod aulico dandum, à rege petet, quo rex dandi occasionem capter. Quis ambiger hanc petitionem sponsa charissimæ regi esse gratiam, & aulico futuram esse proficiuam, quam ipse princeps sibi fieri præcepit? Ita Dominus animas sanctas, velut sponsas sibi charissimas instigat ad petendum, & dicit illis in corde: Petite, & accipietis;] ex quo nos intelligimus eorum postulationes tum Domino esse gratissimas, tum iis, quibus petitur aliquid, non futuras esse inanem, sed viles atque proficias.

Lyc. 21.

Ioann. 15.

August. tract. 31. in Ioan.

August. tract. 8. in Ioan.

Isa. 53.

Vt autem Dominus astruat, suæ voluntatis esse petitionibus sanctorum ad dādum incitari, eos magnificis promissionibus, & apertissimis viriisque pagina sententiis ad postulandum animat. Quamobrem per Ioannem ait: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fieri vobis. ] Tunc dicenda sunt verba eius in nobis manere, ait Augustinus, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando autem verba eius manent in memoria, nec inueniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. ] Iusti ergo sunt, in quorum cordibus verba Christi manent, ex quibus tamquam ex sedibus, aut ex præsidii munitionibus verba Euangelij progrediuntur, vt non solum os ad confitandam fidem occupent, sed etiam manus ad iussa implenda sibi subdant. Horum verò mandatorum obseruatione in Christo manent, tamquam palmites in vite, & rami pulcherrimi in sua radice. His dicitur, vt pertant quicquid velint, quia certissimè consequentur. Quia promissione nihil potest esse felicior, nihil etiam largius, atque profusius. Nihil felicior: quia quid amplius homo optare potest, quam vt sua voluntas, & sua postulatio sit eorum, quæ adeptus est, bonorum mensura? Et nihil liberalius, quoniam quid amplius homo potuit cogitare, quam vt quicquid auxilio diuino fultus perierit, id totum sibi concedatur. Ideo autem hæc promissio tam ampla iusto fit, quia iusti, vt eodem loco dixit idem Augustinus, manendo in Christo, quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum à salute? Ipsi itaque cauti sunt in petendo, quia id perunt, quod Domino placitum iudicant, & Dominus largus in dando, quia tribuit illis, quod congruum est, nec alienum à postulantum salute. ] Eadem promissionem fecerat Dominus per Isaiam: Tunc ait, innocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicer, Ecce adsum. ] Quid est tunc, nisi, cum prædicta virtutis officia compleuerit, oratione clamabis ad me, & ego nō surdus, nec morosus adiutor factus, sed diligens, & velox prote-

A tor esse etus, statim astabo tibi, & quicquid postulaueris, ipse patrabo? Hanc celerē Domini obdictionem ( si ita loqui fas est) qua petitionibus iustorū obtemerat, Ecclesiasticus quoque expressit, dicens: Oculi Domini ad timores eum, & ipse agnoscit omnē operam hominis. ] Sicut enim seruus fidelis, & sui heri obsequis addictus, oculos non solum in os eius, sed etiam in manus intētos habet, vt sine mora, aut diūs heri, aut signis obediat, ita Dominus (quod certè stupendum est) verba, & opera non maioris, nō rē qualis, sed minimi serui sui, sed cōtemptibilis mancipij considerat, vt quicquid ipse, aut verbo petierit, aut operis alicuius, vt ieiunij, aut mortificationis oblatione postulauerit, breviissimè cōpletum videat. An non istud est, quod Regius Propheta cantauit: Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum? ] Ita quidem. Si enim orationem ad os, & precē, ad manus referas, quibus in cœlum protensis orare solemus; videbis Dominum respicere ad orationem humilium, dum eam compleat, & non despiceret precē iustorum, dum ipse quasi sanctis operibus vietus, res postulatas indulget. Aperiūs autem alio loco eandem Domini largitatē erga iustos declarauit. Prope est, inquit, Dominus omnibus inuocatibus eum; omnibus inuocatibus eum in veritate. Voluntatem timentium se, faciet, & depreciationē eorum exaudiet, & saluos faciet eos. ] Nam si non lōgē abest Dominus ab iis, qui verè eius auxilium implorant, profectō dicit illis: Ecce adsum. Et si voluntatem se timentium amore filiali, qui à vera charitate præcedit, largissimè exequitur, sanè cognoscit, id est, approbat omnē operam hominis iusti, cuius depreciationē non respuit. Tandem huic orationi iustorum, bonis operibus fulta, idem propheta promittere beneficium exauditionis nō cessat. Ait enim: In die tribulationis meæ Deum exquisui, manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus. ] Est ac si diceret. In vita ista, quæ miseriae repleta est, & ideo dies non lētitia, sed tribulationis vocatur, & in nocte huius sacculi, quam non sol claritatis aeternæ, sed luna fidei parum illuminat, Deum tum ore, tum manibus, id est, sanctis actionibus exoraui: nec sum meo desiderio, ac meo labore frustratus, quia quod volebam tenui, quod optabam accepi, & quod postulabam obtinui. Roborat igitur Dominus ad petendum sanctos suos, & in Scripturis sanctis à cordibus eorum omnem hæsitationem abigit, vt pro se, & pro aliis fiducialiter orient, & vt familiarissimè sibi ipsiis, quod petierint, acquirant, & vt fideles intercessores alii, quod postulauerint, obtineant.

Lōgum esset, imò penè infinitū, hanc perfectorum dignitatem, quæ ad petendum & accipiéndum magni regis solium adeunt, velle exemplis confirmare; nulla est enim vita sanctorū, ( sunt verò illæ penè innumerabiles) in qua aliquid ad hanc rem pertinet, non inuenias. Sed innumerabilium paucissime exempla diligenda sunt, quæ aliquatenus hunc locum illustrent, Basilius colloquio sancti Ephræm monachi insignis affectans, neque eo perteui valens, quod ipse lingua Syram Ephræmij, hic verò Basili lingua Græcā ignoraret, rationem, quæ se mutuō intelligeret, à Domino postulauit. Ille autem misericors Pater, qui vota timentium se, irrita esse non patitur, Monachο Syro, & Græci idiomatis proflus ignaro, repētē eius notionem & disertā locutionē infudit. Et illi vna breuis precatiūla sancti Doctoris plus Græcē eloquētia artulit, quam alius longa annorum curricula cōferre potuerūt. Quis Dei benignitatem non miretur, qui nō iam protius Ecclesia vilitate, sed pro vnius serui sui consolatione, peritiam ignotā lingua subito ignaro concessit, & impedimentū sancta colloquionis

admetit?

Amphibolus in vita Basili.

Psal. 101.

Psa. 144.

Psal. 76.

Greg. Tu  
ronen.lib.  
de gloria  
confessio.  
c. 27.

aduenit? Lupus Trecensis Episcopus ciuitatem suam ab Attila exercitu obsidione cinctam sula oratione liberat. Oravit ille primò, & suis oibus prasidum à principe pastorum efflagitauit, & statim securus, & gaudens, non milites armavit, non socios suis auxilio futuros euocauit, non mœnia communiauit, sed hosti portas urbis aperuit. Ille autem omni lupo truculentior, una oratione Lupi conterritus, qui solo nomine lupus erat, te autem vera ouis mansuetissima, urbum ingressus rectè quasi per solitudinem traxit, & nihil hostiliter agens à Lupi ouibus sine earum detrimen-  
to secessit. O magna bonitas Dei, cuius sacrum pe-  
ctus ita vnius perfecti oratio molliuit, ut propter illā  
multis peccatoribus parceret, & flagellum ira sua,  
ac baculum indignationis sue longius ab eorum domi-  
bus ablegaret! Frigidianus Lucana ciuitatis Episco-  
pus Aulalem fluum iuxta sua urbis muros influen-  
tem, & per agros effusum, ac semel & iterum sata va-  
stantem, sola oratione ad alia loca deriuauit. Cùm enim  
ciuium suorum misericordia motus, quorum fluuius  
inundans sata vastabat, partulum rastrum fecisset, &  
ad alueū fluminis accessisset, totus se orationi dedit,  
& ad implorandam Dei clementiam vehementer in-  
cubuit. O mira reslab oratione confurgens, aquam  
velut creaturam rationis compotem alloquens, illi ut  
se queretur imperauit. Paruit illa pracepto homini-  
nis, qui Dominum exorauerat, & rastrum ab illo per  
terrā tractū sequuta, noua loca occupans proprium  
alueū festina deseruit, neque amplius agis, homi-  
num usui deputatis, intulit nōcumentum. Quis hanc  
potestatem oratione dedit, nisi vera ac perfecta iusti-  
tia? qua deprecatio manans peccatum diuinum placat,  
vt haec mirabilia, ac naturam ipsam excedentia perficiat? Margarita virgo (ne feminas in hac re homini-  
bus pares, pravereamus) regia progenies, & Domini-  
canæ familiæ fidus clarissimum, coram prælato, qui  
tori illi prouincia præterat, Danubius inundationem  
pronunciās non creditur, & cùm esset veritatis ama-  
trix, rubore suffusa, quod mendax haberetur, Domini-  
num precata est, vt de suis dictis testimonium redde-  
ret. Statim autem Danubius iterum aquarū copias ag-  
glomerans, cœnobium occupat, officinas domus im-  
plet, & forores, ac prælatum in fugam se dare com-  
pellit. Nescio quid magis mirer, aut efficaciam ora-  
tionis talia impetrant, an benignitatem Domini  
pro virgincula honore talia patrantis. Audiuntur  
ergo sancti, & admiranda precibus operantur, adeò  
vt quod natura negat, quod infirmitas non donat,  
oratio iusti ac intentissima deprecatio concedat.

Sed si haec ita sunt, quare aliquando perfecti pro  
scipsis exorantes, non sunt exaudiunt, præsertim cùm  
perturbant ab imminentibus periculis liberari, aut ad alii-  
qua dona in signiora prouehi, quibus se Deo grati-  
ores fore coniiciunt? Quod enim Dominus non sem-  
per sanctos enixa supplicantes, à periculis & tribula-  
tionibus liberet, ex Pauli Apostoli deprecatione li-  
quet, qui cùm ter Dominum rogassem, à stimulo car-  
nis eripi, exauditus non est, (vt ipse fateretur) nec id  
quod volebat consequitus. Quod etiam ad optata  
dona, quæ instanter perierunt, non semper ascen-  
dant, certius est quām vt id dubitare liceat. Cùm  
enim sitis perfectionis eorum corda sollicitans sit  
inextinguibilis (vt suprà memini me dixisse) & do-  
norum accessione non minatur, sed crescat, quis  
credat eos omnem perfectionis gradum, quem cu-  
piunt, & perturbant, adipisci, & ad desideratam purita-  
tem peruenire? Perfectos viros in tribulatione positi-  
os, & feruidè pro sua liberatione clamantes, ali-  
quando non statim liberari ingenuè fatemur, sed id  
ita sit, vt merita ipsorum augeantur, & præmia cu-

A mulentur. Nam & rex terrenus solet equitem sibi di-  
lectissimum, aut etiam germanum fratrem, ad bel-  
lum contra hostes infestissimos mittere, & eum audi-  
de cupientem, & importunè postulantem ad curia  
delicias reuerti, in loco periculoso detinere, vt in re-  
gno suo sit illustrior, & consensu omnium amplissi-  
mis honoribus dignior. Si hoc non odio, aut obli-  
uionis, aut defectui amoris, sed magno regis amori  
tribuum, quo vult familiarem illum patricium non  
sine meritis, ad nobilissimam dignitatem euhere; quis non videat, Dominum, perfectos in bello ten-  
tationis aut tribulationis detinere, nec statim eorum  
deprecationibus fleti, vt amplius eos possit hono-  
rare? Egregie profecto Gregorius hanc ictius tardæ  
liberationis causam assignat. Alto, inquit, consilio  
omnipotens Deus, cùm sancti eius aduersariorum  
persecutionibus comprimuntur, cùmque assiduis,  
vt liberetur, interpellationibus, clamant, differre so-  
let voces petentium, vt merita patientium creuant,  
quatenus eò magis exaudiantur ad meritum, quo ci-  
vitas non exaudiuntur ad votum. Vnde alias scriptum  
est: Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, &  
nocte; arque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox  
subditur, cùm illic protinus subinfertur: & non ad  
insipientiam mihi. ] Ad multiplicandam quippe san-  
ctorum sapientiam proficit, quod postulata tardè  
percipiunt, vt ex dilatione crescat desiderium, ex de-  
siderio intellectus augatur. Intellectus vero cùm  
intenditur, eis in Deum ardenter affectus aperitur.  
Affectus autem ad promouenda cœlestia tantò sit  
capax, quanto fuerit expectando longanimitis. ] Eue-  
nit ergo sanctis in hac vita, quod pueris solet acci-  
dere, qui cùm à præceptore flagellantur, vt dicant,  
solent flagellarum ictus graueri ferre, & ne ferian-  
tur, humiliè supplicare, qui nequam postulata  
impetrant, non quia non amantur, sed quia vehe-  
menter dilectos oportet ad scientiam adipiscen-  
dam castigari. Ita omnino perfecti, qui quādiu vi-  
ta mortalis durat, statim pueritie non excesserunt,  
solent tribulati clamare, & ne amplius flagellantur,  
obnoxius deprecari. Dissimilat tamen Dominus, &  
ad huc extendit manus super eos, vt eam virtutem,  
quæ opus perfectum habet, scilicet patientiam, ad-  
discant. Cùm autem ad perfectam ætatem venerint,  
& celestes mansiones occupauerint, facient quod  
infantes ad virilem ætatem proiecti, qui magnam  
scientiam, & amplissimam dignitatem adepti, præ-  
ceptoribus suis ingentes gratias agunt, quod flagel-  
lis, & alapis eos dicere coegerunt, & sic ad adeptam  
dignitatem, & honorem exaltarunt. Sic perfecti fa-  
cient in celo, qui amplissimam gloriam tribulatio-  
num & infirmitatem perpassione consecuti, Deum  
magistris laudibus celebrabunt, quia eos non exaudi-  
uit ad votum, vt ad meritum & præmium exaudi-  
ret. O quanta mēris exultatione, qui iam vitam istam  
reliqueunt, in celo clamant: Transiūmus per ignē:  
& aquam, Domine, & eduxisti nos in refrigerium, ]  
nec consolationem temporalem, quam petebamus,  
dedisti, vt æternam nobis concederes. Hanc nunc so-  
lam causam assignemus, ob quam aliquando Deus  
perfectos, sibi avantiissimos, tribulationem patien-  
tes, non statim exaudit, sed pati ac castigari per-  
mittit.

B Verum est etiam, perfectos viros, mensuram gra-  
tiae, quam appetunt, non semper obrinere: quia de-  
bet diuinam prouidentiam in gratia distributione  
tenere mensuram, nec æquum est omnes iustos  
etiam ad magnam sanctitatem anhelantes, ad eu-  
dem puritatis gradum exaltari. Est enim cœle-  
stis patria non acerius lapidum, sed respublica

Greg. 20.  
mor. c. 22.

Psal. 21.

Jacob. 1

Psal. 65.

Apoc. 21.

Apoc. 21.

Matt. 25.

Bern. ser.  
4. in Psal.  
Qui habi  
tat.

Rom. 5.

Exod. 33.

Aug. 99.  
in Exod.  
q. 154. &  
2. de Tri-  
nit.

1. Reg. 7.

perfectissima, cuius proprium est, ut inaequalitatem ciuium, & varios dignitatis gradus habeat. Ideoque vocatur ciuitas : & Iohannes inquit : Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendenterem de celo.] Et iterum, ciuitas in quadro posita est, & tanta est eius longitudine, quanta & latitudo : ] quia videlicet pro more ciuitatis debet diversitate gradum, dignitatemque constare. Illis itaque qui ad extiam gloriam, verbi gratia, Apostolorum, aut Martyrum, aut Doctorum vocati, & electi non sunt, meritò gratia huic gloriae, aut statui debita denegatur, ut pro qualitate vocationis, pésulum auxiliorum diuinorum gratias recipiant. In quo Dominus non tantum sua prouidentia consulit, sed etiam electorum infirmitati condescendit, ne supra quod imbecillitas carnis suffert, onerati, bonorum sibi datorum grauitati succumbant. Hinc dantur vni quinque talenta, alij vero duo, alij vero unum, & vnicuique secundum propriam virtutem, ne talentorum copia supra id, quod valet, prægrauatus, aliquod otiosum habeat, & regis talenta partientis indignationem incurrat. Quare Bernardus optimè ait : Quid est, quod incessanter orantes, & supplicantes, non possumus ad eam, quam desideramus, gratia abundantiam peruenire? Putatis, quia auarus, aut inops, factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc; prorlus absit; Sed ipse cognovit signum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia et si non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem: & si cauet nobis à feruore nimio, tamen fouet nos tamquam mater calore suo. Hoc enim est, quod diximus, sub scapulis eius nobis praestari, ut tamquam pulli in calore materni corporis soueamur, ne foris vagantes moriamur, refrigescente nimium charitate, qua non diffunditur in nobis, nisi per Spiritum sanctum, qui datur nobis.] Prospicit ergo Dominus sanctorum suorum infirmitati, dum vel eorum conatus impedit, vel orationibus abnuit, atque adeò siue concedat, quod orant, siue difterat, siue omnino neget, cum id ob ipsorum bonum faciat, semper erga illos beneficis ac largus inuenitur. Ut vero huius eximii amoris significacione edat, si postulata non tribuit viro iusto, quia non expedit, at aliiquid, quod decens & proficuum ei erit, amantissime donat. Vnde Moysi postulanti, ostende mihi faciem tuam: respondit Dominus : Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet. Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.] Quibus verbis, & aliud pretiosum donum loco doni postulati substituit, & illa suprema maiestas, quare ferunt fidelissimi petitioni non annuat, quasi rationem assignat. Faciem quidem diuinitatis meæ, ait, non videbis modò, quia lege sanctum est, ne quis in carne mortali degens, & adhuc viam carpens in via finem, scilicet in meam diuinam naturam, oculos mentis intendat suos. At ut aliiquid alsequatur, & visione meæ imaginis consoleris, posteriora mea, id est, hominé à filio meo nouissimis temporibus fulcipientum videbis. Ita Augustinus interpretatur, & simul creatoris nostri liberalitatem declarat, qui more boni patris filiis suis, si non omnia qua cupiunt, elargitur, at veluti donum distribuens, & meliorem partem celo reseruans, aliiquid, quo corum cupiditati satisfaciat, misericorditer tribuit. Nec tamen putandum est, desideria sanctorum effecta ac opere orbata fuisse inutilia, absit hoc. Sed utilissima sunt, que licet actione frustrata, suo præmio, & quidem magno non carebunt. In cuius signum David cupiens adficare domum Domino, nec tamen adificans, in mercedem sui desiderij audit: Prædicitque

A tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus: id est, amplissima posteritate multiplicet. Cupiamus ergo perfecta, petamus magna, postulemus excelsa, quia (si veram iustitiam fecisti fuerimus) nequaquam oratio nostra vacua in finum nostrum reverteretur, sed prosperabit & faciet, ad quæcumque miserimus illa.

### Quantis donis Deus perfectos replete.

#### CAPVT XXXI.



**O**MNIS perfectos, multa & magna orationibus impetrare, ex alio capite perspicere potest; ex donis scilicet, quibus repleti sunt. Cum enim haec dona (quorum aliqua statim referemus) nec natura nec humana industria donauerit, sed largitas diuina concederit, ita orationibus à iustis peti, & lacrymis ac gemitibus postulari. Nam licet ea sim liberalitas Dei, ut nonnumquam nobis, nec petentibus, nec desiderantibus ingerat dona sua, tamen ordinariè id in donorū distributione seruat, ut prius quam ea nobis conferat, ad orandum & postulandum impellat. Quod si hoc ab omnibus queritur, ut rogetur, antequam sua dona profundat, maximè id exquireret à sanctis, quos vult nobilissima ratione ditare. Ea autem est, ut ipse ad spiritualium donorum acquisitionem aliiquid faciant, & se ad ea promerenda orando, efflagitando, & gemitis promendo, disponant. Eis in libro Psalmorum dicitur: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pauperis in diuinitate eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.] Illi sperant in Domino, & non in seipsis, nec in multitudo diuinarum suarum, & faciunt bonitatem assidue, & quasi ex consuetudine (quod perfectorum est) & habitant eam viventium terram (vitam perfectam intellige) quae non tribulos, & spinas germinat, sed flores, & lilia producit. Huius diuinitatis ad suavitatem & saturitatem pascuntur, quia virtutum dulcedine perfruuntur, & bonorum operum ex illis promanantium copia satiantur. Ita vivunt, ut non in seculo, nec in rebus perituri, sed in Domino delectantur, & tunc iuxta desideria & petitiones suas, alsequuntur à Domino, quicquid impetrare gestunt. Indicant ipsis Domino viam suam, ac vita sua rationem aperiunt, non ut sciatur, qui omnia nouit; sed ut illi ostendendo necessitatem suam, desideria sua, & affectus accendant; & Dominus facit quod ipsi fieri volunt, quia si iusti largi sunt in petendo, qui tribut affluerit, & non impropperat, largior, & profusior est in donando. Ita igitur donat iustis opes coelestes, ut prius donet orandi facultatem. Ita effert illos ad imitationem Angelicæ vitae, ut prius velit rogari, & precibus ac lacrymis excitari. Quod adeò verum est, ut etiam Virgo Beataissima, quae ab Angelo gratia plena vocata est, tantam gratia plenitudinem non sine oratione receperit, nec sine lacrymis impetraverit. Nec id sine magno testimonio proficerimus. Sanctus enim Bonaventura egregius Ecclesiæ Doctor refert, Deiparam Virginem in quadam revelatione beatæ Elizabethæ ista verba dixisse. Filia tu credis, quod omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore, sed non est ita: simo dico tibi, quod nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione: dicendo, cogitando

Psal. 36.

Bonau. in  
medi. vi-  
te Chri-  
sti. c. 3.

semper